cantum de beato Gregorio papa satis honesta modulatione composuit, et in multis ecclesiis Teutonicorum partium cantari impetravit. Obiit a. D. 1053. 13 Kal. Maii. indict. 7. qui est annus 15. Heinrici Tertii, et sepultus est iuxta corpus sancti Gregorii in basilica Sancti Petri apostoli. Et iam meta octavi termini attingimus

Capit. 10. 153us papa Victor II qui et Gebehardus prius Aureatensis episcopus sedit a. 3.

154. papa Stephanus IX. qui et ante Fridericus frater ducis Gotfridi monachus et abbas montis Casini sedit 9 mens.

155. papa Benedictus X. qui ante Johannes contra canones privata quorundam Romanorum gratia promotus, sine consecratione 7 mensibus ecclesiae praesedit unde etiam expulsus et

156. papa Nicolaus II qui ante Gebehardus Florentiae episcopus fuit ordinatus, sedit an. 3. obiit vero 6. Kal. Aug. in Perusino episcopatu, et Perusii sepultus est a. D. 1061. Quo defuncto quidam Romani coronam aliaque munera regi Heinrico IV. transmiserunt, eumque pro eligendo summo pontifice interpellaverunt. Qui ad se vocatis pluribus Italiae episcopis conventum generalem Basileae habuit et communi consilio Romanorum eligentibus legatis Cadalo Parmensis praesul 7. Kal. Nov. papa declaratur, et alterato nomine Honorius appellatur. Interea dum haec geruntur, Romani aliqui eligentibus Northmannorum [illegible] Lucensem episcopum Anshelmum dato ei Alexandri nomine 2. Kal. Oct. scilicet 27 diebus ante Parmensis Cadaloi electionem sedi apostolicae imposuerunt. Quapropter Cadalous Parmam reverso

157us papa Alexander absque omni dissensione sedit a. 12. usque in annum Dni 1073. Quo defuncto successit ei Hildebrandus archidiaconus et abbas Sancti Pauli, et nominatus Gregorius VII. numeratur papa 158us. Sedit annis 12 mense 1. Sub huius tempore tam in Germania quam in Italia nec non in toto regno Heinrici IV. et tunc in totius occidentis partibus maxima ecclesiae dissensio et perturbatio surrexit. Obiit autem et sepultus est Salerni. Cui successit Victor III. qui et Desiderius Romanae ecclesiae cardinalis et abbas Casinensis anno Dni 1087 ordinatus papa 159. Sedit mensibus 4. Deinde post 5 menses 160. papa Urbanus II qui et Otto, prius Ostiensis episcopus anno D. 1088 ordinatus, sedit annis 12. m. 5. Cui post 15 dies successit 161. papa Paschalis II qui et Raynerius presbiter cardinalis ex titulo S. Clementis sedit per a. 19. Quo defuncto a. 1119 ilico imperator Heinricus V. qui tunc Romae fuerat, consensu quorundam Romanorum Mauricium episcopum Bracarensem Hispanum, virum industrium et [illegible] apostolicae sedi praefecit, et alterato nomine Gregorium VIII. vocavit. Recedente vero imperatore ad Teutonicas partes, quidam Romanorum eligerunt Johannem Caietanum et appellantes eum Gelasium Mauricio opposuerunt. Qui cum in Italia imperatori resistere non posset, in Gallias tendens apud Cluniacum abbatiam vix integro anno post electionem suam vivens defunctus et sepultus est. Quo defuncto cardinales et Romani qui cum eo illuc venerant Guidonem episcopum Viennensem eligentes et novo nomine Calixtum appellantes papam esse 163. statuerunt. Quod cum Romae auditum fuit, et plures ei sese submiserunt, pauci vero cum Mauricio permanserunt. Hac fiducia certificatus Calixtus Romam venit, Mauritium Sutrii obsedit cepit et indignissime ac inhumane affectum in exilium relegavit. Sed postquam Romanae sedi 5 annis praefuit obiit 2. Non. Dec. anno Dni 1125. Cui successit Ostiensis episcopus Lambertus, et innovato nomine dictus est Honorius II in ordine paparum 164. et quia Mauritium timuit, longius eum in exilium vinculis